



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

10. Ad Catholicæ Ecclesiæ &c. Jubilæum Universale ad implorandum
Divinum auxilium initio sui Pontificatus pro salutari Sanctæ Ecclesiæ
Catholicæ regimine.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

X.

Jubileum Universale ad implorandum Divinum auxilium initio sui Pontificatus pro salutari Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ regimine.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Universis Christi fidelibus presentes Litteras inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exorditur à sua humilitate, & ab afflictio statu, & periculis Christianitatis.

AD Catholicæ Ecclesiæ regimen per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam, cui proprium est infirma Mundi eligere, & dextræ suæ potentiâ facere fortia, post diurnam Apostolicæ Sedis vacationem, nullis Nostri suffragantibus meritis eventi, parvum quidem, ut par erat, supernæ vocis imperio, quâ super Nos Deus Majestatis intonuit, firmâ spe, atque fiduciâ in Domino freti, ut qui Nobis honoris autor fuerat, ipse Nobis fieret administrationis adiutor, ac ne sub magnitudine gratiæ succumberemus infirmi, virtutem daret qui contulit Dignitatem. Verum, dum onerosam curarum Pontificiarum molem humilitati Nostre impostam serîo contuemur, & luosum undequaque hoc tempore Christianæ Reipublicæ statum Apostolicæ charitatis studio consideramus, anticipaverunt vigilias oculi Nostri, atque inter mœores, & suspiria cum Prophetâ regio exclamare compellimur: Exaltatus humiliatus sum, & conturbatus: terrores tui conturbaverunt me: circumdederunt me, sicut aqua totâ die, circumdederunt me simul. Ardet siquidem cum gravissimo totius ferè Europæ incendio, ut cum maxime pertinax inter Christianos Principes bellum, quo pleræque eaque florentissimæ Christiani Orbis Provinciæ tot per annos agitata, tanquam virgâ furoris Domini affliguntur. Immitis Turcarum Tyrannus non minus nuperis cum immortalis Christiani nominis gloriâ acceptis cladibus irritatus, quam ingravescentibus in dies Orthodoxorum dissensionibus in spem adductus, effertiori rabie, bellum infansuræ fatagit, collectisque tot Provinciarum, & Regnorum, quæ tyrannide suâ opprimunt, viribus, præteritam ignominiam abolere, ac perniciosos conatus suos, qui protegente Domino incassum hæcenus ceciderunt, ad exitum deducere, suæque perfidiæ abominationem in agro Dei viventis plantare, & latius propagare meditatatur. Crescunt quotidie in Catholicæ Fidei perniciem Hæreticorum vires, Sanctæque Dei Ecclesiæ facies, quâ multiplicatis in Religione diffidiis lacera, quâ filiorum suorum iniquitatibus sedata, colore in pallorem mutato, animæ nostræ amaritudines cumulatissimè adauget. Dira Epidemiciæ lues ante oculos penè Nostros sævire adhuc non cessat. Omne caput languidum, & omne cor mœrens. Ubique terror, ubique luctus, ubique malorum impendentium formido, ita ut si unquam, certè nunc gravem manum Domini sentiamus, flagitiis hominum ejus iram jugiter provocantibus. Sed numquid in æternum projiciet Deus? aut non apponet ut complacitor sit adhuc? Absit. Non enim obliviscitur misereri Dominus, nec continet in ira misericordias suas; Sed qui multus est ad ignoscendum, ac propitiatur invocantibus eum in veritate, effundet in Nos divitias misericordiæ suæ, si iniquitates nostras, quibus eum offendimus nimis, humili confessione agnoscentes, dignos poenitentiae fructus faciamus, & obsecrationes nostras jejuniorum, atque eleemosynarum viribus roboratas, ad Altare Dei Patris misericordiarum jugiter offeramus. Concordibus itaque votis præstabilem super hominum malitiâ Dei bonitatem invocemus, ut clementissimus Dominus, qui dat lassio virtutem, & his, qui non sunt, fortitudinem, & robur multiplicat, confortet Nos in potentia virtutis suæ, repleatque Nos agnitione voluntatis

Narrat Bella inter Principes Christianos, rabiem Turcarum, vires Hæreticorum, & epidemiam.

Sperandum in Divina misericordia.

Hortantur ad orationes, eleemosynas, jejunia.

suæ in omni sapientia, & intellectu spirituali, effundens super Nos spiritum consilii, & fortitudinis, quo inter rerum, ac temporum difficultates agnoscamus quæ agenda sunt, oculisque in Deum semper intentis quæ recta sunt salubriter perficiamus. Oremus unanimiter, ut Dominator Exercituum, qui conterit bella ab initio, erigat brachium suum sicut ab initio, & illudat virtutem inimicorum nostrorum in virtute suâ. Clamemus, ut qui facit pacem in sublimibus, & Reges in thronis collocat, dies nostros in sua pace disponat, ac Principum Christianorum animos, sublati discordiis, quibus componendis frustra videntur esse humana consilia, nisi celesti ope adjuventur, fortiter, ac suaviter vinciat in vinculo charitatis. Rogemus magnum Patrem familias, ut vineam suam electam custodiat, quam plantavit, Hæreticos, & Schismaticos ad Catholicæ Fidei veritatem, & Ecclesiæ unitatem revocet, suum denique Populum ab iracundiæ suæ terroribus liberet, & per viam mandatorum ejus ambulantem gratiæ suæ donis in hac peregrinatione confortet, & ad propositum æternæ beatitudinis præmium feliciter perducatur.

§. 1. Hæc autem, ut ferventiori spiritus ardore majorique fructu fiant, præsum Komanoꝝ Pontificum Prædecessorum morem secuti, celestium munerum thesauros, quorum dispensationem Fidei Nostre commisit Divina dignatio, aperire, & liberali manu erogare decrevimus. Itaque de omnipotentis Dei Misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate consili, ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, Universis, & singulis utriusque sexus Christifidelibus in Alma Urbe Nostra degentibus, qui solemnibus Processioni, quæ feriâ quartâ proximâ Hebdomadæ ab Ecclesiâ Sanctæ Mariæ Angelorum in Thermis ad Basilicam ejusdem Sanctæ Mariæ Majoris nuncupatam de eadem Urbe, benedicente Domino, agerent, devotè interfuerint, vel Sancti Joannis in Laterano, Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris Ecclesias, seu Basilicas, vel earum aliquam intra spatium ejusdem, vel proximè subsequenti Hebdomadæ saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devotè, ut supra, Deum oraverint, ac quartâ, & sextâ feriâ, ac Sabbato alterius Hebdomadis jejunaverint, & peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Dominica die immediatè sequenti, vel alia die intra eandem Hebdomadam reverenter sumperint, ac pauperibus aliquam elemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint; Cæteris verò extra Urbem prædictam ubicumque degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut eorum mandato, & ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam Animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæc Nostre pervenerint, designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi aliquam spatio duarum similiter Hebdomadarum à publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, vel alios, ut præfertur, faciendæ decursurarum saltem semel visitaverint, ibique ut supra oraverint, ac quartâ, & sextâ feriâ, ac Sabbato alterius ex Hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominicâ immediatè sequenti, vel alia die intra eandem Hebdomadam Sanctissima Communionem, refecti fuerint, & pauperibus aliquam elemosynam, ut præmittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, sicut in anno Jubilei visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Urbem prædictam concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, & elargimur.

§. 2. Navigantes verò, & iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, supra scriptis peractis, & visitatâ Ecclesia Cathedrali, vel majori, aut Parochiali loci eorum do-

Indicit Jubileum Universale ac præscribit adimplenda in Urbe.

Facienda degentibus extra Urbem.

Pro navigantibus, iter agentibus. Regularibus,

micilii,

captivis,
infirmis, &
impeditis.

micilii, eandem Indulgentiam consequi possint, & valeant: Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, nec non aliis quibuscumque tam Laicis, quam Ecclesiasticis Secularibus, vel Regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis à locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus. Insuper omnibus, & singulis Christi fidelibus utriusque sexus tam Laicis, quam Ecclesiasticis Secularibus, & Regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, tam in Urbe præfatâ, quam extrâ eam ubique locorum, ut præfertur, degentibus licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium, tam Secularem, quam cujusvis Ordinis, & Instituti Regularem ex approbatis, ut præmittitur, à locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, & aliis Ecclesiasticis sententiis, & censuris à jure, vel ab homine quavis causa latis, seu inflicis, nec non ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis, quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, five Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in Litteris die Cœnæ Domini legi solitis contentis, & aliis per quascumque Nostras, aut Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiæ & hac vice tantum absolvere, & liberare valeant: Et insuper Vota quacumque (religionis, & castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injunctâ tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

Facultas eligendi Confessarios etiam pro Regularibus.

De Votum commutatione

Præcipit Iubileum ab Ordinariis ubique publicari.

Declaratio in quibus non intendit dispensare.

Derogatio contrariis.

§. 3. Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscumque Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælati, ac quibuscumque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus, illis, qui curam Animarum exercent, ut cum præsentium Litterarum transumpta, aut exempla, etiam impressa, acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, & Dioceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas designent.

§. 4. Non intendimus autem per præsentibus super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquo modo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ; neque etiam easdem præsentibus iis, qui à Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliis in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publicè denunciati fuerint, nisi infra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis deroga-

gatio fiat, cuiquam suffragari queant, nec non Regulâ Nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sive Institutorum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus: privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servatâ habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expressè ad effectum præmissorum derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Ut autem præsentibus Nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earundem præsentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, ubique locorum, & gentium eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. Novembris 1691. Pontificatus Nostrî Anno Primo.

J. F. Cardinalis Albanus.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo primo, Indictione decimâ quinta, die vero decima sexta mensis Novembris, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii Divina Providentia Papa XII. Anno ejus primo, supradictum Breve asfixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Lateranensis, Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe, & in Atriâ Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Hippolytum Perretum Sanctissimi N. Papæ Cursorem.

Pro D. Mag. Curforum Gregorius Staggius Dec.

Concessio Privilegorum pro nonnullis suis Familiaribus.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Venerabilibus Fratribus Herculi Vicecomiti Damiaten. Palatii Nostrî Apostolici, & Balthasari Cincio Larissen. Archiepiscopis Cubiculi Nostrî, necnon Josepho Eufanio Episcopo Porphyrien. Sacrarîi Nostrî respectivè Præfectis; ac Dilectis Filiis Magistris Mario Spinulæ Januen. Litterarum Nostrarum, quæ ad Principes scribuntur, Secretario, & Josepho Sacripanti Narnien. in utraque Signatura Nostra Referendarii, Subdatario, Prælati Domesticis Nostris; ac Faustino Crispoldi Perusini, Vincentio Ricci Senogallien. Notarum arcanarum Secretario, Joanni Camporeali Interanen., Petro Laurentio Landucci de Pifcia Nullius Diocesis Provinciae Florentin., Ansaldo de Ansaldis Florentin. Auditori, Josepho Antolini Laurentan., Carolo Augustino Fabroni Pistorien. libellorum supplicum Nobis porrectorum Secretario, Julio Ricci Romano Vestiaro, & Eleemosynario Secretario, Thomæ Emanuelli de Zarate Calaguritan., Joanni Carolo de Talliafer de Barriere Petrocorien., Marcello Malpighi Bononien. Medico Secretario, ac Josepho Lothario Comiti de Kiniglegh Vien-

Transumptorum fides.

A. 1. 12. Novembris 1691.

Publicatio

XI.

Nomina Familiarium Sanctitatis Sux.